

M A R C V S

A N T O N I V S D E

D O M I N I A R C H I E P I S C .

S P A L A T E N .

Sui reditus ex Anglia Consilium exponit.



E Romano exemplari hoc anno 1623.
edito.

Superiorum permissu.

D I L I N G A E .

Apud V D A L R I C V M R B M
Academiae Typographum.

M. D C. X X I I I .

M A R C V S

A N T O N I V S D E

D O M I N I S A R C H I E P I S C

S P A L A T E N

Sui reditu ex Anglia Capitu[m] expouit



I. Romulo exornati hoc anno 613



Apud Vindobon[ia]e in R. M.

Academiae Typographicae

M. D. C. XXIII



MARCVS ANTONIVS

DE DOMINIS ARCHIEPISCOPVS SPALATENSIS.

Sui reditus ex Anglia Consilium exponit.

I. **D**EA CLARE sanè, vt cætera omnia, Spiritus Sanctus inter opera carnis, per os Pauli *Gal. 5. 20. contentiones, emulationes, iras, rixas, dissensiones, sectasq;* numeravit. Hos ego infaustos infaustæ arboris, nimiumq; acerbos fructus in me expertus, quos prius, deprauato ex morbo animi gustu, auidè deuoraueram, iam ad meam salutem, hausto salutari diuinæ gratiæ pharmaco, mihi euomendos esse duxi. Atque hoc ipsum vt tutius & promptius facerem, errataq; mea plurima, ex pessimo priori meæ malæ profectiois consilio sequuta, apertè ipsemet reprehendere possem, & damnare, illud optimi cepi consilij, vt, relicta errorum, falsitatum, & hæresum schola, ad Sanctam Romanam Ecclesiam, solam atque vnicam veritatis Catholicæ columnam, ac singulare firmamentum, & omnium Catholicorum Matrem, à qua impiè discesseram, spontè redirem. Ante omnia itaque reprehensionem hanc, & damnationem, errorumq; meorum detestationem prosequar; deinde alias etiam causas, cur Anglia, aliæq; hæreticorum ditiones fuerint mihi omnino deserendæ, & Sancta Ecclesia Catholica Romana repetenda, commemorabo.

2. Morbus est antiquissimus humanæ naturæ corruptæ primo parente ad posteros omnes transmissus, vt quando

IIII.

ramus, & in vetita prolabimur, aut putidas cominiscamur excusationes, *Mulier quam dedisti mihi &c. Gen. 3. 12.* aut etiam errata defendamus, & iusti atque honesti, conficta veste, ea obtegere satagamus. Id mihi contigisse & fateor, & doleo. Morbus animi, quo ante, quam discederem, laboravi, fuit, quòd nimium *proprie prudentiæ*, contra salubre Sapientis cõsiliu, *Prou. 3. 5. inniti*, ingenioliq; confidentia, de rebus fidei, tantillus, audax nimium ferre iudicium voluerim: Accessit iracundiæ quædam phrenesis, non quam mihi ex Anglia discedenti obiecerunt scioli aliqui, ex ambitis frustra, negatisq; dignitatibus, sed ex mea penitus irrationabili, dum alijs, de quibus in meæ profectiois consilio immeritò sum conquestus, subdi ægerrime ferrem, impatientiâ, excitata. Hæc me in syrtes & breuia adegerunt, hæc alliserunt ad scopulos, hæc ingenium ad pestiferas cogitationes exacuerunt, hæc, vt errores Ecclesiæ Romanæ vanè comminiscerer, quibus meam profectioem excusarem, effecerunt, hæc me vltra extremas oras amandarunt. Atque vt rectè fecisse viderer, imprudentiæq; ac temeritatis, imò & hæresis notam vt-cumque effugere conarer, in meæ profectiois defensionem consilij mei expositionem primùm, deinde volumina quædam, & libellos edidi, plurimis eò congestis, quæ pingendi, fingendiq; ars suggessit, & carnis consilium suppeditauit. Ac dum interna feruebat ægritudo, iracundiæq; stimuli animum exulceratum pungebant, linguæ calamiq; prurigo in saniem erumpebat. Plurima, quæ sedis Apostolicæ hostes in hæreses abrepti credebant, afferebant, profitebantur, mihi iam à me ipso obcæcato credibilia, aliqua etiam vera videbantur, quando ego nondum dogmata controuersa ad veræ Theologiæ Parium lapidem admoueram, nec ea perrectè discusseram: nam aliquam de Republica Ecclesiastica sententiam, in qua de dogmatibus & fidei regulis mihi agendum

propo.

propofueram, non abfolueram, imò ne aggreffus quidem fueram: utcumque in profectiois Confilio omnes illos libros me paratos habere dixerim. Hinc ego temerè nimium hereticorum calumnijs, non Catholicæ innixus fidei, libellos, Confilij profectiois, & alium, quem *Scogli del Cristiano naufragio*, infcripsi, ac cuiusdam Concionis, erroribus, etiam hærefibus referfi, in odium vt plurimum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ, Summorumq; Pontificum, à quibus me læsum existimabam, eaq; afferui, & multa, quæ falsa ac hæretica esse & prius noram, & postea, ex parte saltem, ipsemet reprehendi, ac tota mente, dum scriberem in Anglia, sum detestatus: nunc quoque expressè libellos illos abominor & detestor; quippe qui hærefes apertas contra Catholicam veritatem contineant, & sanæ doctrinæ sint contrarij, hoc est, ei, quam tenuit, & tenet perpetuò Sancta Catholica Ecclesia Romana, contra quam quicquid à me vbiicumque dictum scriptumq; est, id ego totum damno & detestor: idque melius etiam & fusius in confutatione meorum de Rep. Ecclesiastica, aliorumq; si quos scripsi, librorum, Deo bene fauente, damnabo & detestabor. Me enim, ac omnes libros meos sanctissimo Sanctæ Rom. & Apostolicæ Sedis, Ecclesiarum omnium magistræ iudicio atque censuræ omnino subijcio.

3 Interim verò consilium illud meum infælicis meæ profectiois & infames scopulos, mei maximè & hereticorum, non Catholicorum naufragij, nec non Concionem illam oportet me ipsum in hoc nouo, ac verè sano consilio detestari. Neque pudebit, detractis, quæ mihi confinxeram, indumentis, nuditatem meam aperire, quia non puduit, contrarius, fasq; in vana commenta, in apertas calumnias, ac in fœdas etiam hærefes erumpere. Scorpia aculeus & venenum, ex ipsius tunc scorpia, qui p̄pugit, contusione, me delam ac-

capit opportunam: *Dioscorid. l. 6. c. 44.* si mei ipfius spontè facta contritio ac contufio venenato vulneri, (si quis tali vulnere faucius indoluit) medelam afferat, fælicem meam contufionem, humiliationem, mortificationem reputabo. Stet inconcuffa Ecclesiæ Catholicæ, & fedis Apostolicæ gloria, etiam cum summo in me bonorum humanorum detrimento, vbi eam ipse iniquè imminuere sum conatus, tandem mihi quoque, faltem apud Deum, id non potest non esse gloriosum. Fateor itaque in primis, ac verè & sincerè in conscientia testor, me, & consilium illud profectiois, & scopolos, & concionem, non ex cordis sinceritate, non ex bona conscientia, non ex fide non ficta scripsisse, sed vt meæ profectioi omnino vituperabili qualemcumque obtenderem excusationem, & hæreticis, ad quos miser properabam, vel quibuscum versabar, gratior essem & acceptior. Decennij labor, quem in eo consilio iactavi, non maturitati deliberationis, non consilij grauitati, non discussione veritatis, sed, toto eo tempore, vano & inutili ac pernicioso apparatus, quo audacia, imò & hæreticalia commenta perficerem, & simul iracundiæ obsequerer, inseruiuit: Vt propterea non diuina, sed diabolica fuerit illa vocatio; non Sancto Spiritu, sed spiritu malo, spiritu vertiginis me, peius quam Saulem *1. Reg. 18. 10.* concitante. Reditum vero meum diuinæ veræ vocationi tribuendum esse non dubito, Sancto diuino Spiritu me ad Matrem meam Catholicam Romanam Ecclesiam reuocante.

4. Mores Romanæ Curix, dixi, fecisse vt ab ea perpetuò abhorrerem; hoc me male dixisse non ignoro: neque enim deerant tunc; non desunt hodie Romæ pietatis, & omnium virtutum Christianarum plurima exempla conspicua, quæ religiosos animos & delectare possunt, & allicere. Dixi, ex interdicta librorum Romanæ doctrinæ contrariorum lectio-
ne, su-

ne, suspensiones aliquas malas emergere, quæ hæreticorum scriptis fidem concilient, atque inducant ad credendum, aliquid in illis latere, cui conuellendo doctrina nostra non sufficiat; hoc quoque non sine graui fidei Catholicæ iniuria à me dictum esse planè agnosco, qui in libris hæreticorum doctrinam falsam, hæreticam, scandalosam, pestiferam inueni, à cuius pabulis, ne animi fidelium inficiantur, illi merito sint arcendi. Neque enim priuatorum, qui legunt libros, sed Pastorum fuit semper, & est iudicium fidei, vt, quæ sint venenata pascua, cognoscant, & ab ijs quam longissimè oues suas amoueant. Argumenta porrò hæreticorum fallacia sunt, sophistica, & facillimas habent solutiones. Dixi, eorum doctrinam, qui Ecclesiæ Romanæ aduersantur, vel nihil, vel parū à pura prisca Ecclesiæ doctrina abhorrere: Et hoc falsum est. Nā dogmata, in quibus illi à Catholicis discrepant, sunt omnia prorsus dogmatibus prisca Ecclesiæ contraria; & nihil magis eos erroris conuincere potest, quàm veteris Ecclesiæ autoritas, à qua illi suis nouitatibus longissimè recesserunt; vt meritò hoc nomine tamquam hæretici sint ipsi ab Ecclesia Romana damnati. Detestandum itaque est, & detestor illud, quod dixi, ideo dumtaxat doctrinas illorum ab Ecclesia damnari, quia illa sensui, corruptisq; Curia Romanæ moribus aduersentur. Dixi quoque Romæ per summam vim novos cudi articulos: Et hoc profecto contra fidem & conscientiam; neque enim id vnquam obseruaui, nec à quoquam obseruari posse certò scio. Non enim noui articuli cuduntur, vbi declarationes & explicationes verorum fidei articulorum, ex diuinis Scripturis, & Patrum traditionibus, ipsiq; fidei regulis collectæ apponuntur. Insuper Romanam Ecclesiam titulo Catholicæ, & Vniuersalis Ecclesiæ spoliare sum conatus; in quo erraui plurimum: Ecclesia enim Catholica Romana intelligitur, non modo illa specialis & particularis, quæ Romæ est, sed etiam aggrega-

tum

VIII.

rum ex omnibus Ecclesijs Romanæ Ecclesię vnitate eiusdem fidei, & subiectione ad ipsius Summum Pontificem, vbi cumque tandem illæ fuerint, etiam in extremis mundi oris, adherentibus. Et sanè verissimum est, atque à me sæpius & voce, vt testis ipsa Anglia esse potest, & scripto in meis de Republica Ecclesiastica tractatibus in ea parte, quam vltimo in Germania impressam audio, probatissimum, nullam aliam esse Catholicam, nisi Romanam, & hoc ipsum aggregatum: cum reliqui omnes Christianorum cœtus hæresibus deturpati, & schismate à Catholica diuisi ac separati, extra Catholicam, Vniuersalem, veram Christi Ecclesiam sint constituti: & illi verè cæci cum suis cæcis ductoribus in barathrum perditionis ruunt, & præcipitantur; quod ego de Romanis, cum graui iniuria pessimè pronuntiaui. Ex Romana enim Ecclesia perpetuis temporibus ad omnes alias Christi Ecclesias lux fulgentissima puræ & incorruptæ fidei promanauit, & nunc promanat. Memini vero me in Præfatione librorum de Rep. Eccl. inter alia, quibusdam vsu verbis, quibus videor in Ecclesia Catholica posuisse omnes, quicumque baptismum receperunt in nomine Trinitatis. Sed licet verba male sonent, & hæreticas quoque Ecclesias faciant veræ Catholicæ Ecclesiæ vera, & sana membra, quod est falsissimum, & hæreticum, sensus tamen meus fuit vt Arianæ, Nestorianæ, Eutychianæ, & omnes hæreticæ, ac olim damnatæ omnino excludantur, ac solæ orthodoxæ retineantur: Quas tamen verè orthodoxas longè plures tunc putabam, quàm re vera sint; & multas posterioribus hæresibus infectas, ac schismate diuisas, ad Catholicam pertinere malè sentiebam. Quamuis enim Catholica ex vniuersitate vocetur, vniuersitas tamen non nisi verè orthodoxas, quæ per totum sunt Orbem sparsæ, & eas, quæ in vnitate Catholica cum Romana permanent, complectitur. Ac sanè Romanæ Ecclesiæ Vniuersitas, non modo

modo in perpetua, & nunquam interrupta, nunquamq; interruptenda sanæ fidei duratione, & firmitate consistit; sed etiam vniuersalis est, quia eadem ipsius fides, supremumque Regimen ad omnia loca, & ad omnes nationes, post Christi aduentum, sunt dilatata. Quo nomine, vel his quoq; postremis sæculis, nihil minus Catholica est dicenda, quàm fuerit antiquorum tempore Patrum: siquidem Romanæ Ecclesiæ Fides hisce temporibus in remotissimis ac vastissimis Orientis, & Occidentis Regionibus, etiam ad vltimos terræ fines, est propagata. Ita vt, commeantibus ipsius filis à Solis ortu ad occasum, fidem Christi secum ferentibus, & munda sacrificia offerentibus, nunc maximè illud impleatur, quod per os Malachiæ protulit Dominus, *cap. i. ii. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Neque minor iniuria fuit, atque calumnia, dum dixi, me perspexisse innumera- biles Romanæ Curia nouitates, & errores: quas ego nouitates, quos errores neque perspicio, neque vnquam perspexi; & falsissimum esse agnosco, ac fateor, Romæ aut tunc fuisse, aut nunc esse errores, ex quibus clades animarum sequatur, turbetur Ecclesiæ pax, & scandala publica oriantur. Verè enim Ecclesiæ Catholice pax omnis, atque tota tranquillitas, æternaq; animarum salus, post Deum, Rom. Ecclesiæ curæ ac sollicitudini est tribuenda. Episcopos potentiores sub Romano, æquiucè Episcopos esse dixi; & hoc dictum non minorem falsitatem quàm iniuriam continet; ac proinde, vt male dictum, id ipse damno: Sunt enim illi veri & legitimi legitima ordinatione Episcopi. Reliquos dixi, qui in temporalibus quoque Magnates, & Principes non sint, dignitatem & potestatem Episcoporum propriam amisisse: & hæc profectò calumnia est; subordinatio enim Hierarchica in Ecclesia fuit semper necessaria. Multo magis damno tanquam hæresim, quod dixi, sub Romano Episcopo Ecclesiam amplius non esse. Siquidem, vt superius memorauit, & serio affirmavi, sola

B

Eccle-

Ecclesia Romana cum sibi adherentibus, est vera Christi Ecclesia, alię ne Ecclesię quidem sunt. Ac, vt paucis multa complectar, animaduerti me priori illo Consilio illud maxime conari, vt Romani Pontificis primatus infirmetur. Qua in re contra fidem totius Catholicę Ecclesię meloquutum esse, ac proinde grauiterrasse non inficior. Nam & ipsi Evangelica institutione, & ex Apostolica traditione, atq; SS. Synodorum & vniuersalium Conciliorum definitionibus plurimisq; SS. Summorum Pontificum decretis, necnon communi Patrum, & Ecclesiasticarum historiarum testimonio patet, Romanum Pontificem, semper pro totius Ecclesię Capite, à Christo Domino immediatè instituto, & pro singulari Oraculo habitum, à quo fidei instructionem, definitionem, ac tutam reliquam doctrinam, tanquam à Magistro diuinitus nobis dato, qui ex officio Ecclesiam doceat, non minus Oriens, quàm Occidens, in omnibus fidei dubiis, flagitaret. Obseruare facile quisque studiosus potest exempla plurima, quibus Romani Pontifices etiam Patriarchas Orientales, & Primate instituant, monent, arguunt, docent, damnant, absoluunt, deponunt, restituunt, increpant pro munere suo; & ab iis increpati humiliter audiunt, parent, non resistunt, aut renitentur: & vt summatim dicam, planè totius Ecclesię Catholicę confessione liquet, in solo, & vno Supremo visibili eiusdē Ecclesię Capite, quod est solus Papa, & Summus Pontifex, Petri successor, totum Christi Spiritum, pro iis quę ad fidem pertinent decernendis, residere.

§. Libellum, quem *Scogli del Cristiano naufragio* vocauit, ingenuè fateor, mihi, paulo post ipsius editionem, summo pere displicuisse: nullo enim habito delectu, nulla discussione facta, tumultuariè illum scripsi: atque vt quomodo Anglos mihi, in recenti illo meo ad ipsos aduentu, demulcerem, non quid verum esset, sed quid hostibus Catholicę Ecclesię, ac presertim plebi imperite placeret, considerauit, & exprompsi. Eundem libellum, etiam in Anglia, dum discessum pararem,

rem,

rem, à Rege, & aliis Magnatibus mihi obiectum, sum expressis verbis detestatus: & contra maiorem hæresum, quas continet, partem, postea ego ipse insurrexi, easq; totis viribus impugnaui. Quas omnes hic iam denuo reiicio, abominor, & detestor. Exæverò sunt, Romanum Summum Pontificem nō esse Vicarium Christi in terris, totiusq; visibilis Christi Ecclesiæ visibile Caput. Eundem non habere potestatem in temporalia. Implicitam fidem nihil prodesse, sed multum fidelibus obesse. Excommunicationes Iuris esse vana terriculamenta. Præcepta Ecclesiæ ad peccatum mortale non obligare. Vnitatem Ecclesiæ ab vnico Capite visibili non esse petendam. Summum Pontificem esse capitalem Ecclesiæ Vniuersalis hostem. Missam non esse verum sacrificium. Cere- monias Missæ esse mimicas gesticulationes. Transsubstantiationem non fieri. Confessionem auricularem, cum absoluti- one, non esse verum sacramentum. Purgatorium nullum esse. Satisfactionem, post remissam culpam, ad remissionem pœnæ non esse necessariam. Indulgentias nullas esse, nisi de Iniunctis. Sanctos non esse inuocandos. Imaginum sacrarum, & Reliquiarum cultum non esse licitum. Meritum vitæ æternæ ex Operibus non esse. Hi, & similes errores, ac manifestæ hæreses, non tam meæ, & nouæ, quàm antiquorum, & recen- tium hæreticorum, eorumq; fabulationes ac deliramenta à S. Catholica Ecclesia in pluribus sacrosanctis Conciliis Vni- uersalibus perpetuò damnata, scopuli sunt miserabiles, ad quos qui accedunt, lachrymabile patiuntur fidei, & salutis æ- ternæ naufragium: ideoq; ab illis quàm longissimè possum re- cedo. Ac ne ad eos exitium vltimum paterer in Anglia, fuit mihi ab ea omnino discedendum, & ad Romanam Eccle- siam, verum Catholicorum portum, redeundum: cum qua omnes prædictos errores, & quoscūq; alios, si qui præterea sūt in illis libellis, qui cū Romana Ecclesia in sacris Cōciliis, præ- fertim verò Tridētino, explicita fide nō cōsentiāt, abijcio, de- testor, & anathematizo; cōtrarias verò veritates amplector &

affirmo, nimirum, Romanum Summum Pontificem, ex Christi institutione, esse Vicarium ipsius in terris, totiùsque militantis Ecclesiæ, quæ semper visibilis fuit, visibile Caput, cum plena potestate diuinitus accepta eam regendi & ordinandi. Eundem, in ordine ad spiritualia, habere potestatem etiam in temporalia. Implicitam fidem, vtilem, & plerumque necessariam esse, nimirum cum aliquorum articulorum fides explicita inculpabiliter non habetur. Excommunicationes Iuris, vel ipso facto prolatas, esse validas, & metuendas, vtpotè summa ratione, & legitima potestate inductas: Summosq; Pontifices posse in omnes quarumcumque partium fideles, excommunicationes proferre. Præcepta Ecclesiæ ad mortale peccatum obligare. Vnitatem Ecclesiæ ab unico visibili ipsius Capite vel maximè pendere. Summum Pontificem esse totius Ecclesiæ verum, legitimum, & erga ouiculas CHRISTI summopere, vt debet, proficuum Pastorem, quarum solam æternam salutem ille perpetuò sitiat, & tota sollicitudine quærat. In Missa verum, proprium, & propitiatorium Deo sacrificium offerri. Ceremonias Missæ à SS. Patribus, & Pastoribus Ecclesiæ, Spiritu Sancto inspirante, institutas, sanctas, mysticas, vtilis, & omninò retinendas esse. Transubstantiationem, hoc est, conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Domini Nostri IESU Christi, in sacramento Altaris fieri. Per absolutionem sacramentalem, qua Sacerdos absoluit pœnitentes, veram, ac propriam ligandi, ac soluendi peccata, quam Dominus sacramentorum suorum Ministris in Ecclesia tradidit, potestatem exerceri. Purgatorium esse eo modo, quo id Sancta Romana, & Apostolica Ecclesia dari docet. Satisfactionem ad remissionem pœnæ, post remissam culpam, multum valere Indulgentiarum vsum in Ecclesia Catholica, cui eas conferendi potestas à CHRISTO collata est, esse antiquissimum, maximè salutarem, & Sanctorum Conciliorum autoritate probatum. Sanctos, ne-
dum

dum absque vlllo errore à fidelibus inuocari, sed bonum atq; utile esse ad eorum orationes, auxiliumq; confugere. Imaginum & Reliquiarum cultum esse bonum, licitum, & vtilem, qui sine heresis labe abiici non possit. Meritum vitæ æternæ etiam à bonis operibus pendere. Concilia Oecumenica posteriora summæ in Ecclesia Catholica autoritatis, nauseabundus contempseris sæpius; Florentinum præsertim, & Tridentinum, nonnunquam etiam Constantiense; imò mea opera factum est, vt Historia quedam Concilij Tridentini in lucem prodiret, cuius ego Historiæ fidem certam nullam haberem: imò quæ sit meritò suspecta imposturæ; in his quoq; me plurimum errasse fateor. Horum enim Conciliorum saluberrima decreta omnia, plena fide, Catholicis omnibus amplectenda esse affirmo.

6. In concione quadam mea primæ Dominicæ Auentus, Londini habita Italicè, & impressa, eisdem pænè errores posui, quos in libello postea Scopulorum repetitos iam sum meritò detestatus. In ea noctem quamdam Papalium errorū, & Romanæ Ecclesiæ, sum commentus, cum tamen reuera in sola Romana Ecclesia, eiq; connexis, sit vera lux, verusque & solus dies splendidissimus: extra quam, in Anglia præsertim, perpetua sit nox, eaque densissima. In Ecclesia Romana lux veritatis, & sacrarum Scripturarum vera ac sana intelligentia, tenebras omnes errorum ab se longissimè propellit: quibus tenebris Anglia misera obscurata palpat in meridie. Dixi in eadem concione, & in libello Scopulorum repetiui, Petrum nunquam Romæ fuisse: hoc tamen tanquam fœdum & insciitiæ plenum mendacium, scio, & ingenuè fateor esse reprobandum. Apostolos, in fundanda & gubernanda Ecclesia, feci æquales; cum tamen vel ex ipsis Euangeliis, & Apostolica traditione, Petri suprematus super illos emineat. Dixi Episcopos succedere Apostolis cum equali potestate, & esse Episcopos vniuersalis Ecclesiæ in solidum; cum tamen Episcopi non nisi particularium Ecclesiarum sint Pastores, & in sola parti-

culari cura, seruato ei primatu generali, qui in eo Petro suc-
 cedit, qui est Romanus Summus Pontifex. Dixi nugas esse a-
 quam lustralem, grana, Cruces, Imagines benedictas, benedi-
 ctionem Papalem aut Episcopalem, Stationes, habitella, cor-
 dulas, corrigias, visitationes Ecclesiarum & Altarium, Rosa-
 rium, Processiones, & similia; cum tamen antiquissimum &
 probatissimum esse in Ecclesia Catholica horum ferme om-
 nium usum satis constet, qui sit omnino retinendus, etiam in
 iis, quæ sunt nouiora pietatis & deuotionis excitamenta. Duo
 esse tantum Sacramenta, Baptismum, & Cœnam asserui; cum
 tamen septem esse vera Sacramenta Ecclesia Catholica à
 Spiritu Sancto illustrata doceat planè, ac definiat. Quas om-
 nes, & quascunq; alias hæreses ab Ecclesia Catholica Roma-
 na damnatas, ipse quoque damno; & iis contraria ab eadem
 definita, ipse quoque firma fide credo, teneo, & profiteor: est
 enim certissimum in decretis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ rati-
 onem non esse ab autoritate seiunctam; & Scholasticam do-
 ctrinam esse omnino Sanctorum Patrum sensui, in articulis
 præsertim fidei, consonam. Illud quoque fateor, me immeri-
 tò in libellis illis de Romana Curia conquestum, quasi aliena
 Iura læserit: nisi enim illa Episcopos & Archiepiscopos in of-
 ficio, pro sua legitima in eos potestate, contineat, facilè per i-
 psos Iurium læsio consequatur! Est verò summa Ecclesiæ
 fælicitas, dum singuli ipsius Pastores sub summo vigilantissi-
 mo omnium Pastore, ab eo, cuius est suprema autoritas, &
 morum reformationem, & sanæ ac sinceræ doctrine custo-
 diam accipiunt facilè, & exequantur. Ac profecto, nisi San-
 ctæ Inquisitionis benigna ac paterna cura super Dominicum
 gregem serio inuigilaret, scabiosum pecus medelam non ac-
 ciperet, sed contagio pessima facilè serperet. Illius tribunalis
 arma ordinaria sunt, sana doctrina, plenaq; charitatis instru-
 ctio; non alia, quæ ego in meis libellis, animo nimirum exul-
 cerato, cum falsitatibus & calumniis, exaggeraui: quod si
 putrida interdum vlcera lenioribus non cedunt medica-
 men-

mentis, asperiora medicam manum arripere, & æquum est, & necessarium.

7. Iam vero vbi internum efferbuit ægritudinum animi incendium, miraculo penè quodam, sub ipsis Sanctissimi GREGORII XV. Pontificatus initiis (cuius insignem pietatem, prudentiam singularem, perpetuamq; integerrimæ vitæ sanctimoniam eò culminis ipsum prouexisse non dubitabam, salutifera cœpit mens mea agitare consilia, ei noua quadam diuini Spiritus face allucente: pericula quoq; animæ, in quibus versabar, se se in dies clarius cœperunt mihi ostentare. Mirabar quomodo eò imprudentiæ & erroris sim progressus, vt iis me commiscere voluerim, qui hæretici essent, absolutèq; ac simpliciter schismatici. Tanta fuit olim vafricies paucorum Arianorum in Concilio Ariminensi, vt arte quadam subdola Catholicos fermè omnes in Arianismum quodammodo pellexerint; *Et tunc* (inquit noster Hieronymus aduersus Luciferianos) *totus mundus ingemuit, & miratus est se esse Ari-
anum*: Sic mihi (proh dolor) & multo peius contigit, vt me & hæreticum cum hæreticis, & cum schismaticis schismaticum esse cernerem, mirarer, & ingemiscerem. Ac ne iniurium me sibi esse Angli conquerantur, sed planè agnoscant me iure ac meritò ab ipsis recessisse, & ad Parentem meam Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam rediisse; Hæresim ipso-
rum ac Schisma cogor aperire, quibus me vltèrius infici æ-
quum non erat.

8. Sunt in Anglia plures (quod ad religionem attinet) Sectæ: sunt Puritani, hoc est, rigidi Calvinistæ: sunt Mitiores, qui se Protestantes duntaxat, & Reformatos vocant: sunt Anabaptistæ, in plures & ipsi diuisi Sectas: Non desunt Ariani, Photiniani, & similes hominum impiorum farrago, qui, licet publicè non permittantur suos errores profiteri, nec eiiciuntur tamen, nec puniuntur, sed suum virus dum spargunt, tolerantur. Anabaptistas porro hæresibus scatere, nemo, qui Anabaptista non sit, negabit: illi vero suos conuentus in Anglia liberè

liberè celebrant: Et mihi quidem Rex Serenissimus quadam die narrauit, nuper Londini, in quodam conuentu Anabaptistarum, fæminam & concionem publicam habuisse, & ab ipsis putata Sacramenta ministrasse. Puritanorum hæreses notoriæ sunt, Liberum arbitrium non dari: Deum esse autorem peccati: Deum ex solo suo beneplacito multos sine causa damnare: Christum pro omnibus non esse mortuum: Christum damnatorum pœnas subiisse: Infantes cum baptismo mortuos posse damnari, &c. Protestantes Mitiores, etsi contentur se, quo ad dogmata, ab hæresi utcumque liberare, quia neque Caluini, neque Lutheri hæreses ipsorum professio videtur ipsis omni ex parte admittere, si doctrinam puram Ecclesiæ Anglicanæ, quam Reformatam vocant, sequantur; ab hæresi tamen tam Puritanorum, quàm Anabaptistarum, immunes esse non possunt, quia cum illis plenè communicant: & si quis Anabaptista, si quis Puritanus ad illorum conuentus Ecclesiasticos venerit, illum neque vitant, neque excludunt; imò ipsamet Anglicanæ huius pseudo-Ecclesiæ Sacra, Puritani fere omnes Ministri, omnibus, Caluinianis saltem, hæresibus toti infecti, tractant, & administrant. Quod si Acatius Constantinopolitanus, quia Petro Mogo Alexandrino hæretico communicarat; sitotus Oriens, quia in communione Acatij persistebat, diutino anathemate fuit ab Occidente separatus, quanto magis Angli Protestantes pro hæreticis sunt omnes habendi, quia cum hæreticis perpetuò communicant, nec eos damnant, nec à se separant, sed etiam in diuinis cõmunicare volentes admittunt? Nonne ipsa Anglicana Ecclesia deformata communionem, & fœdus Ecclesiasticum cum Puritanorum Matre Geneva, aliisque Ultramarinis sectis Caluiniano veneno infectis, publicè & apertè profitetur? Nonne in ipsa Regia Ciuitate Londini, publica Regia concessione, Caluinistarum Gallorum, Belgarum, Italorum Ecclesiæ apertæ sunt, quæ Anglicanam doctrinam, professionem, ritus abominantur, & tamen

An-

Anglicanæ Synagogæ sorores sunt dilectissimæ? & ab illis vel maximè in Anglia Puritanismus fouetur, ac promouetur: sed etiam cum Lutheranis, hæresum plurimarum sorde pollutis, quantum in ipsa est, communicare Anglicana ipsa Synagoga est paratissima, & plurimum conatur vt monstra hæc in vnâ Hydram cum ipsa coalescant, vniôq; fiat omnium, vt ipsi loquuntur, Ecclesiarum Reformatarum; de purganda vero illarum fide & doctrina, hæresibusq; euclendis, nihil laborant: Lutherani tamen *cane peius & angue* oderunt Sacramentarios. De alijs Anglorum hæresibus circa Fidem, & Opera, ac Iustificationem, circa Sacrosanctam Eucharistiam, & Missas priuatas, circa Merita, Inuocationem Sanctorum, Imaginum sacrarum venerationem, Ritus sacros, Animas defunctorum, & similia, quæ ipsi hæretico spiritu damnant, & abolent, quæque ego in aliqua parte cum ipsis, eodem hæresis spiritu, aliquando damnaui & aboleui, non est nunc mihi pluribus differendum; attingam aliquid, quantum hic locus fert, paulò post: plura aliàs. Venio ad Schisma.

9. Anglicanam illam Sectam, quam ipsi Angli deformati Ecclesiam vocant Reformatam, esse multò magis à verè Catholica Ecclesia diuisam, & separatam, quàm ipsi sint *diuisi toto orbe Britanni*, mihi nullum dubium est. Se quidem à Romana Ecclesia, reliquisq; omnibus ei subiectis, & cum ipsa communicantibus, esse diuisos in religione & fide, pleneq; separatos, fatebuntur ipsi, nec inuiti: & res est clarissima, ac per se notissima. Cum vero Ecclesia Romana cum alijs sibi coniunctis, sit verè, secundum Catholicam fidem, & propriè Catholica Christi Ecclesia, an non sequitur necessariò, Anglicanam illam ab illis sic vocatam Ecclesiam, à vera Catholica Ecclesia esse omnino dissectam, & consequenter illam nec esse corpus Christi, nec domum Dei, nec ab-

C

solute

solute Ecclesiam? Quod cum mihi planè tandem aliquando constiterit, in ea diutius mihi immorandum nequaquam fuit. Constitit id tibi (dicent illi) qui tamen Babylonem in libris de Republica Ecclesiastica Romam vocasti, qui Ecclesiam Romæ esse negasti, qui illam esse propriè schismaticam nos quoque docuisti: at nobis id, quod de nostra Ecclesia asseris, non constat. Iam igitur, ut ipsis quoque Anglis id sit compertum, efficere conabor. Probe sciunt me non esse Pythagoram, cuius sola autoritas apud ipsius discipulos pro optima ratione eorum, quæ ipse assererat, habebatur. Nihil igitur moueantur ijs, quæ a me, nulla allata ratione, fuerint prolata; imò vero præterea dicta mea adhuc vires nullas obtinent, ubi etiam eorum profero documenta, & probationes, quando hæ viribus cassæ manent, & destitutæ: mea vero ratio, cui innitebar, dum Romam Christianam feci Babylonem, erat, quia de Roma Ethnica ante fidem Christi susceptam, prophetia *Apoc. 18.* explicari non poterat; & hæc ratio est viribus omnino destituta: hoc enim etiam dato, non sequitur Christianam Romam esse Babylonem illam: Est enim plurium Catholicorum Interpretum sententia, in Antichristi persecutione, Ethnicos idololatrias, Christianique nominis hostes eam sibi fortasse subiecturos, & de talibus prophetiam illam nondum impletam posse commodè explicari: ita tamen ut Ecclesiæ Catholicæ fides salua semper & incolumis sit futura. Vnde mea illa de Roma Christiana assertio tota ruit, & meram continet calumniata. Scio enim Romam Christianam Babylonem non esse, nec eam ita, nisi per summam iniuriam, posse vocari. Sed & absit, ut in hac Apocalypctica prophetia ipsam Romanam Ecclesiam, quæ est omnium Mater, & fidei Caput, Babylonem fuisse, aut futuram esse intelligamus; non enim quæ de Vrbe dicuntur, ad Ecclesiam

sunt

sunt transferenda. Negavi Romæ esse Ecclesiam, sed id non probavi; inter maledicta igitur & conuicia negatio illa, imò inter hæreses etiam, reponi debet, vel me ipso in meis aliis tractatibus id rationibus conuincente, vbi Romanam Ecclesiam cum aliis omnibus ipsi annexis, esse veram & solâ Christi Catholicam Ecclesiam firmiter asseueraui, & nunc vel maxime profiteor & asseuero. Schisma eam fecisse dixi, quando Schismatis considerationem exactam nondum habueram: & in hoc erravi turpiter, cum sit hæc falsitas manifesta. Probatio vere, quam posui in contrarium, nullius est momenti, ac nihil prorsus conficit: Qui enim alicuius corporis caput legitime constitutus, eiusdem corporis se caput celebrat & promulgat, non separat se à corpore, neque à se corpus abiicit, sed corpori se coniungit: quod est à Schismate valde alienum. Hæc tamen pluribus prosequar in Operis illius reuisione, & correctione. Iam ostendo quomodo mihi constet Anglos, ac multo magis cæteros omnes nostræ ætatis Sectarios, esse verè ac propriè Schismaticos, quia à vera Christi Ecclesia, quæ est Catholica Romana, cum suis se, absque vlla legitima causa, præciderunt.

10. Duplex duntaxat causa esse potest legitimæ separationis, vt vna, vel plures Christi Ecclesie, vnam, vel plures à sua communionem, citra malum schismatis, penitus abijciant: Altera est Hæresis: Altera Schisma ipsum. Hæreticæ incorrigibiles Ecclesie vitandæ sunt Catholicis, & cum illis hæ nullam habere debent Ecclesiasticam communionem. Hoc norunt optimè fideles omnes. Quæsiui ego sæpius ex Anglis, cur se ab Ecclesia Romana, & ei adiunctis separauerint: num ob aliquam hæresim? ac profectò nemo illorum siue scripto, siue voce potuit mihi re ipsa ostendere Romanæ religionis Catholicos nostrorum temporum, siue nostros prædecessores, quo ad publicam omnium professionem, vlla esse,

aut fuisse vera hæresi vnquam inquinatos. Concessit mihi apertè & publicè Rex ipse Magnæ Britannia Serenissimus! Concesserunt ex maioribus, minoribusq; Ministris sapientiores, viriq; docti non pauci, Ecclesiam Romanam in fundamentali fide non errare. Non est igitur, etiam Protestan- tibus Anglis concedentibus, hæretica. Dicent fortasse in fundamentali fide Romanam Ecclesiam non errare, (quod ego quoque aliquando, præsertim verò in Consilio profes- tionis, & concione Londini habita, docere visus sum) errare tamen, & in hæresim prolapsam in alijs articulis fidei, qui non sint fundamentales. Atqui ego primum nescio, qui sit articulus veræ fidei, qui non sit fundamentalis: Neque enim vnquam aut ego capere, aut illi mihi explicare potue- runt, quomodo inter articulos fidei illa admitti debeat di- stinctio, vt aliqui sint fundamentales, alij secus: Ego sanè semper omnes, & solos articulos, qui verè sint articuli fidei, fundamentales censui: erravi tamen, vbi à fundamentali- bus, & consequenter à veris articulis multos exclusi, qui & veri sunt articuli fidei, & consequenter omnes fundamen- tales, neque vllò modo, sine hæresi, abnegandi; vtcumque nō sint ex illis primis de Trinitate, Incarnatione, Necessitate Gratia, Baptismo in nomine Trinitatis, &c. vt sunt, Sacra- menta, Iustificatio, Operum necessitas, Merita, Indulgen- tia, & reliqua, quæ superius, vt iam in Ecclesia definita, commemoravi; quia non minus hæc diuinæ nituntur reue- lationi, quàm priora, ac proinde non minus ad fidem perti- nent, quàm illa; siquidem qui Deum fallacem putat esse in vno articulo quocumque, is fallacem necesse est ipsum ag- noscat in reliquis omnibus. Deinde quæsiui sæpius ex ijs, qui serio rem agerent, vt mihi aliquem articulum veræ fidei proferant, in quo Romana Ecclesia perperam sentiat & do- ceat. Proferre solent articulum Transsubstantiationis Panis
in

in Corpus Christi : Inde colligunt aliquas hæreses , puta , Christum non habere verum corpus , sed phantasticum , si quidem in minima mica Panis integrum Corpus illud ponamus , ita vt Corpus iam non sit Corpus. Item , Christum non esse in Cœlo , si est in Altari in terris , contra Articulum Ascensionis Domini. Item , Christum non esse natum ex M A R I A Virgine , si quidem ex pane nos illum conficiamus. In his profectò verum est , quod ait S. Hieronymus *in Epist. ad Tit. cap. 3. Nullum esse schisma , quod non sibi aliquam hæresim con-tingat , vt merito ab Ecclesia recessisse videatur.* Transsubstantiatio porro , quam Catholici profitentur , ab illis hæresibus est remotissima : nam proprietates Corporis in se omnes saluæ sunt , etiam si ponatur in mica panis : At vero eadem proprietates in ordine ad locum , qui externus est Corpori , sunt ab eo , per diuinam omnipotentiam , separabiles , quod Scholastici nostri satis explicant. Quænam autem in nobis potest eis subolere hæresis , si omnes constanter fatemur , nos credere tanquam articulum fidei , Christum habuisse , & habere verum Corpus , cum omnibus naturalibus suis , in se , proprietatibus , quas per eandem omnipotentiam seruari posse credimus , & confitemur , etiam vbi Corpus redigatur ad minimum locum externum ; neque hoc potest quisquam Theologicè oppugnare ? Humana vero philotophia non potest , nec debet diuinam potentiam metiri : iudicet illa quid natura effici possit ; quæ autem supra naturam sunt , veneretur , non dijudicet. Sed neque sequitur Christi Corpus non esse in Cœlo , si sit in Altari : omnes fatemur nos fide diuina credere Christum in Cœlum ascendisse , & ibi ad dexteram Patris perpetuò residere : per diuinam tamen potentiam , dicimus , vnum & idem Corpus posse in pluribus locis simul esse , saltem sacramentaliter ; neque id , nisi ex humana philotophia , & apparenter duntaxat potest impugnari. Ac demum

non dicimus ex pane fieri corpus, quod non extaret, sed dicimus panem transubstantiari in Corpus Christi, quod panis consecrationi præexisteret; præexistit vero huic transubstantiationi Corpus Christi ex MARIA Virgine natum, & in hoc panis transubstantiatur. Parum profectò scite istas hæreses illi comminiscuntur, quia hæreticus est, qui directè profert hæresim: si vero ex nobis quærant quid sentiamus de veritate Corporis Christi, de Ascensione, de Incarnatione, audient ex nobis veram in his omnibus orthodoxiam; tamen si aliquid asseramus, unde illi putent sequi contrarias cacodoxias, quas nos sequi omnino ac verè negamus; nec ipsi possunt contrarium Theologicè convincere. Quod igitur spectat ad hæresim, nullam illi possunt causam hinc prætexere, quare se iustè & meritò à nostra Ecclesia separarint. Iniustum ergo schisma fecerunt.

II. Non nimium vrgent Angli Protestantes Mitiores, qui Puritani non sint, Romanæ Ecclesiæ hæresim, neque inde se à schismatis crimine liberant, sed Idololatriam, atque Articulorum nouorum fidei obtrusiones exagitant, quibus Ecclesiam Romanam, & sequaces, hoc est, ipsam Ecclesiam Catholicam, à recta fide defecisse contendunt; atque hinc maximè suæ separationis æquitatem tuentur. Idololatriam manifestam in Sanctorum cultu & Inuocatione, atque in Reliquiarum, Imaginumque veneratione ponunt, & maximè in panis Eucharistica adoratione. Occultiorem vero subesse dicunt illi fiduciæ, qua in salem, aquam, oleum, aliasque res exorcizatas, & benedictas recumbimus. Nouos articulos à Catholicis sibi obtrudi in tot Concilij Tridentini definitionibus circa Iustificationem, Opera, Merita, Purgatorium, Indulgentias &c. conqueruntur. Sed hæc frustra: certè si nos Catholici, essemus verè Idololatræ, hæretici non essemus solum, sed plerisque hæreticis multo deteriores, ac proinde
meri-

meritò effemus vitandi, penitusque à fidelibus omnibus ab-
iiciendi. Mirorq; quomodo, qui compos sit mentis, possit iis
Idololatriam appingere, qui se credere in vnum Deum quo-
ridie profitentur, & pro hoc fidei fundamento sanguinem
effundere sunt parati; qui diuinum cultum nulli puræ creatu-
ræ competere perpetuò prædicant: turpis calumnia est hæc.
Ex nostra Sanctorum Inuocatione, Imaginum cultu, Eucha-
ristiæ adoratione, reddimur ne ipsis Idololatriæ rei, aut suspe-
cti? Quærant, cognoscant, rimentur quid de vnitæte veri Dei
sentiamus; quid de honore diuino creaturis non dando: &
planè cognoscent stultissimos esse eos, qui nos Idololatrias,
hoc est, Creaturæ adoratores esse censent, & pronuntiant.
Neque in schisma prorumpant, nisi prius veram in nobis in-
uenerint Idololatriam.

12. Sanctos homines iam mortuos, vel Angelos cultu
diuino colendos esse nemo nostrum vnquam dixit: non adeo
desipimus. Hoc opposuit olim Catholicis Vigilantius, sed
calumniosè, vt ostendit S. Hieronymus aduersus eundem
scribens. Habemus in hoc etiam, vt in reliquis rebus sacris,
magistros opportunos, Antiquos Patres: ab illis non dissenti-
mus, non recedimus, non discordamus; eorum monita salu-
berrima, & omni ex parte Catholica circa Sanctorum cul-
tum amplectimur libenter, eaq; plenissimè exequimur. *Ori-
genis lib. 8. contra Celsum. Epiphany, hæres. 79. Augustini Epist. 44.
& lib. de quantitate animæ cap. 34. & lib. de vera Relig. cap. 55. &
contra Faustum lib. 20 cap. 21. Cyrilli Alex lib. 6. contra Iulianum.
Theodoret in historia Sanctorum Patrum cap. 21.* Horum, & a-
liorum dicta non afferò, quia libellus hic id non tolerat.
Vndenam igitur novos oculos noui isti Magistri cæci ac-
ceperunt, cum longè ante illos lucidissimis & tutissimis lu-
minibus Ecclesia sancta Catholica instructa fuerit perfe-
ctissimè?

13. Ad honorem Sanctorum spectant festa, quæ in eorum memoriam celebramus, Deum laudantes, eiq; gratias agentes, quod mortales homines & peccatores ad altum sanctitatis gradum euexerit. Neque res noua est dies festos in honorem Sanctorum, annua deuotione, in Catholica Ecclesia celebrare: Res antiqua est, quæ ad traditionem Apostolicam meritò referatur, vt, præter Dominicum diem, etiam Sanctorum natalitia festiuas habeant solemnitates; id enim video antiqua Ecclesiæ Catholicæ consuetudine comprobari. Sollicitum inuenio Cyprianum *lib. 3. epist. 6.* vt dies, quibus Martyres pro fide animam ponebant, diligenter annotarentur, vt talibus, *inquit*, diebus celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia, ob commemorationes eorum. *S. Ioannes Chrysostomus serm. in Martyrem Pelagiam,* & *S. Augustinus in Psal. 88. parte 2. in fine*, hortantur fideles ad solemnitates Sanctorum ritè celebrandas. Quare non possum non vehementer mirari, novos scrupulos Protestantium, plus sapientium extra sobrietatem quàm oportet sapere, dum omnium Sanctorum, etiam Deiparæ Virginis, & Apostolorum, clarissimorumq; Martyrum solemnitates penitus censuerint esse abrogandas: quamuis in Anglia aliquid in hoc genere reliquerint, sed valdè parum.

14. Inuocare Sanctos mortuos idem esse, aiunt, quod multos Deos fingere; nec differre ab Ethnicis moribus inuocationem Sanctorum, & statuarum cultum: quo nomine à nobis abhorrent vehementissimè. Nobis verò, si locus hic longiores pateretur de Sanctorum inuocatione disputationes, facile esset, omnes hæreticorum calumnias depellere. Coguntur enim ante omnia, si Scripturis sacris fidem habent, illud admittere, Sanctorum animas apud Deum pro nobis mortalibus, etiam in particulari, intercedere: Et quidem viuos fideles viuorum iustorum precibus apud Deum
 iuuari

iuuari est notissimum : nam Moyses toties auertit iram Dei à populo Israelitico : Deus amicis Iob *cap. 42. 18.* suadet, vt ad obtinendam stultitiæ remissionem ipso Iob vtantur deprecatore. Paulus toties se orationibus commendat fidelium. *Ephes. 6. 19. Coloss. 4. 3. 1. Thessal. 5. 25, 2. Thessal. 3. 1. Heb. 13. 18. &c.* Sed mortuos quoque Sanctos, quorum animæ coram Deo viuunt, & cum Christo regnant, pro viuis Ecclesiæ militantis intercedere, discere possunt, si volunt, *Hieremiæ 15. 1. Ezechiel. 14. 14. Apoc. 5. 8. & 8. 3.* In gratiam vero Sanctorum suorum iam mortuorum multa Deum viuis concedere, habent in iisdem sacris Scripturis *Gen. 26. 4. 5. 24. Exo. 32. 13. 3. Reg. 18. 36. 1. Paralip. 29. 18. 3. Reg. 11. 12. 32. 34. & 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. & 19. 34. & 20. 6. & Isaia 37. 35.* Videndi sunt Commentarij, qui dicuntur Chrysostomi, homil. 2. in Psal. 50. Faciendos esse amicos de Mammona iniquitatis monet Christus, *Luce 16. 9. Vt cum defeceritis, inquit, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Ex hoc Euangelij loco Sanctorum intercessioni multum tribuit S. *Augustinus de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 27.*

15. Hanc Sanctorum intercessionem Patres agnoscunt, admittunt, confirmant. Et sanè de Angelis, nota est scala Iacob, *Gen. 28. 12.* nota alia ministeria, *Heb. 1. 14.* Videndus est *Origenes contra Cels. lib. 8.* de Angelis nobis inferuentibus; & *Augustin. epist. 122.* Et de Angelo Custode Scripturæ satis apertè loquuntur, *Gen. 48. 16. Exod. 23. 20. Psal. 33. 8. Matth. 18. 10. Actorum 12. 15.* Et Patres apertissimè: *Greg. Nyssen. de vita Moysis. Basiliius in Psal. 33. Hieronymus in Matth. cap. 18. &c.* Si igitur quisque iuxta se habet Angelum Domini, quid obstat quo minus illum quisque in opem aduocet? Audiui ipse magna cum voluptate in Anglia vnum ex meis tunc Canonicis Vindisoriensibus coram Rege concionantem, & pro concione expressè asserentem, nihil obstat quo minus quisque fidelis possit ad suum Angelum Custodem se con-

D uertere

uertere & dicere, *Sancte Angele Custos, ora pro me.* De Angelorum intercessione, & ministeriis ad nostrum beneficium, videre quisque potest etiam alios Patres, *Antonium Monachorum Parentem epist. 2. ad Arsenoitas, Anastasium Synaitam in Hexem. lib. 5. Antiochum Abb. homil. 61. Chrysostrum de incomprehens. Dei nat. homil. 3. & homil. in Martyres Aegyptios. Hieronymum epist. 1. Cyrillum Alex. apud Anastasium. Nicenum quest. 61. Theodoretum ibid. Damascenum lib. 1. Paralel. cap. 7. &c.*

16. De intercessione verò aliorum Sanctorum habemus communem consensum Patrum. Videndus *Cyprianus lib. de mortalitate. Hieronym. aduersus Vigilantium. Augustin. de baptismo lib. 5. cap. 17. & lib. 7. cap. 1. & de verb. Apost. serm. 47. & serm. 46. de Sanctis, & lib. 9. Confessionum cap. 3. & lib. de cura pro mort. geren. cap. 16. & contra Faustum lib. 20. capit. 21. & in Meditationibus cap. 20. Leo magnus serm. de sancto Laurentio. Gaudentius Brix. serm. 17. Gregorius magnus lib. 7. in dict. 2. epist. 53. Bernardus in Cantic. serm. 77. Mitto innumera- biles alios posteriores. Igitur & Scriptura, & Patres, & consensus vniuersalis Ecclesiae Angelos, & Sanctorum iam defunctorum animas intercedere pro viuis, etiam in particu- lari, pro certo confirmant. Cur non itaque fidelis quisque a- nimos sumit eos inuocandi, quos certò scit pro nobis in Cœ- lis orare?*

17. Inuocationem tamen hanc Angelorum & Sancto- rum, vt ipsi pro nobis orent, & sint nobiscum comprecato- res, vt loquitur *Chrysostrum serm. in S. Meletium*, non posse in dubium vocari, est certissimum. Ac seorsim de Virgine Deipara à nobis inuocanda, vt pro nobis apud Filium in- tercedat, habemus documenta præclarissima, *Irenæum lib. 5. cap. 19. Athan in Euang. de Deipara. Nazianzenum orat. in Cyprian. Basilium Seleucie orat. 1. de Verb. incarnat. Augustin. serm. 1. de*

An-

Annunciat. Cosmam Hierosolymitanum, & Sophronium item Hierosolymitanum orat. 6. de Angelorum excellentia. Hildefontem Tolentanum, &c.

18. At verò inuocationem aliorum Sanctorum, præter B. Virginem, etiam antiquissima Ecclesiæ praxis confirmat, ita vt ad Apostolicam pertineat traditionem. Inuocationes enim Sanctorum in vsu perpetuò fuerunt, & à nemine vnquam, qui hæreticus habitus non fuerit, reprehensæ. Longum esset hic Patres, qui aut inuocant Sanctos, aut inuocandos esse asserunt, recensere. Præstiti id alias satis copiosè. Et hic perpetuus Catholicæ Ecclesiæ mos inuocandi Sanctos, vt orent pro nobis, precibusq; suis nobis opem ferant, nunquam reprehensus fuit; sed potius contrarius error à S. Hieronymo fuit in Vigilantio damnatus, quam damnationem tota approbavit Ecclesia. Damnandi igitur sunt iudicio totius Sanctæ Ecclesiæ etiam nostri noui Vigilantiani. Quorum maxima temeritas est, dum in nostra Sanctorum inuocatione idololatriæ crimen comminiscuntur. Neque isti Vigilantiani quicquam habent, quod inuocationi huic solidè possint opponere. Eorum obiectiones totas alibi penitus sustuli. Sanctarum quoq; Reliquiarum venerationem puto me plenè aliàs defendisse: quam patentissimis miraculis Deus ipse, vti sibi gratissimam, confirmauit.

19. Sed in cultu sacrarum Imaginum apud nos Idololatriam vigere constanter asserunt Aduersarij, atq; hinc etiam secessionem suam iustam esse contendunt. Sed hic quoque vanissimus est eorum prætextus, neque possunt hinc se à turpi nota scdissimi Schismatis liberare. Nam si quo nos sacras Imagines honore proprio veneramus, præter honorem & cultum, qui propriè prototypo exhibetur, is latriæ honor & cultus non est, nec vera adoratio, quæ soli Deo debetur. Cum itaque nos clarissimè profiteamur, diuinum honorem,

cultumq; latriæ neq; Sanctis, neque ipsorum aut Reliquijs, aut Imaginibus deberi, cur nobis idololatriam obijciunt? Vfus Imaginum ad ritus Ecclesiasticos spectat: in his vero regulæ cognoscendi an sint liciti & approbandi, tuta, certa, & infallibilis, est praxis, & vsus primitiue præsertim Ecclesiæ: vt illi omnes ritus liciti sint & boni, quos vel Apostoli ipsi, vel Apostolici Viri instituerunt, aut, siue tacitè, siue expressè, approbarunt. Ecclesiam porro Christianam, etiam antiquissimam, totam, & vniuersalem, summo consensu, absque vlla oppositione aut contradictione, statuas, & imagines sacras veneratam esse, est certissimum, & probatissimum. Testimonia vberrima collegit Ioannes Damascenus tribus orationibus, quas pro Imaginibus scripsit: collegerunt etiam Patres septimæ Synodi generalis: & post hos alij ex nostris recentiores. Quis ergo sciolus audeat id damnare, quod Sanctissimi & doctissimi Patres laudauerunt, docuerunt, exercuerunt; quod ipsa Ecclesia Catholica ab Apostolis edocta perpetuò seruauit; quod Deus ipse frequentibus etiam miraculis confirmauit? An non igitur, iuxta S. Augustini dictum *epist. 118.* insolentissimi insanierunt, qui vsus hunc Imaginum, etiam cum ipsarum proprio honore, (modo latriæ, vel duliæ cultus Sanctis ipsis debitus, absit) non retinent, nec deuotè conseruant, sed abijciunt?

20. Duo potissimum contra hanc nostram sacrarum Imaginum venerationem vrgent Aduersarij, quibus contendunt, nos omnino impediri, ne nostrum Idololatriæ crimen à nobis possimus amouere: Et ex his illi se in suo, tamquam legitimo, firmant Schismate. Alterum, est diuinum præceptum, ne vllæ formentur Imagines. Alterum, non excusari ab externa vera Idololatria eos, qui etiam verum Deum adorant in signo quocumque externo, quod sit pura creatura. Volunt enim cum Caluino, Vitulum assumptum fuisse à filijs

à filijs Israel *Exo. 32. 4.* ad verum Deum representandum. Et in hoc potissimum firmat & fundat suum tractatum de Romanæ Ecclesiæ Idololatria Rainoldus Anglus, totus Puritanus. Mihi verò dubium non est, neque Aduersarijs esse potest, etiam Sanctos antiquissimos Patres, & ipsam Ecclesiam Catholicam, nota habuisse, & Decalogum legis, & historiam Vituli: Et nihilominus, citra omnem difficultatem, omnēq; scrupulum, sacris Imaginibus passim vsi sunt cum veneratione & honore. Sed neque hæc disputatio hunc libellum decet. Erit spero mihi aliquando opportunitas Rainoldi librum de Romanæ Ecclesiæ Idololatria plenè confutandi, quo libro nunc maximè Anglia suum defendit Schisma. Ut verò nunc paucis agam, reuoco eis in memoriam facta Salomonis, qui diuina sapientia instructus, templum suum ornauit, non modo illis Imaginibus & artis operibus, quæ Deus ipse fieri iusserat, vt erant Cherubini &c. sed etiam ex se addidit tot effigies & sculpturas arborum & animalium; erant boues ænei, erant palmæ, malogranata &c. & Thronum suum ornauit leonibus, & ieiunculis aureis *3. Reg. 10. 19. 20. &c.* Intellexit ergo Salomon, & nobis satis explicauit, præceptum Decalogi de non formandis imaginibus vllis, non fuisse præceptum perpetuum, neque iuris diuini naturalis (nisi quatenus adorationes patriæ erga imagines vetat) sed iuris diuini tantummodo positiui, temporarium, & conditionatum, vt tunc, & tam diu seruetur, quam diu adsit periculum ne imago idololatriæ sit causa, vel occasio. Quia igitur nobis iam probe instructis nullum in imaginibus idololatræ imminet periculum, idcirco prohibitio illa Decalogi, quæ similitudines confici vetat, apud nos locum non habet. ac propterea Iconomachi sacrarum Imaginum vsu abolentes, easq; confringentes, & indignè tractantes, ab Ecclesia Catholica pro pessimis hæreticis perpetuò habiti sunt, & inter hostes Christianæ Religionis cõputati. D 3 12. FN

21. Filios Israel in adoratione Vituli crimen Idololatrię patrasse est certissimum ; sed Vitulum illum ipsis verum Deum tantummodo repręsentasse, nunquam concesserim; & falsissimum est, ac contra verum Sacrę Scripturę sensum, asserere, Israelitas in illo Vitulo verum Deum adorasse. Adorauerunt Vitulum ipsum aureum, quem veri Dei diuinitatem habere turpissimę errantes putabant. Hoc ego ex clarissimis Sacrę Scripturę locis facilę, vt spero, suo loco & tempore conuincam, & Caluini, Rainoldiq; argutationes dissoluam, ostendamq; verum Deum in signis etiam corporeis posse, citra omne idololatrandi periculum, completa latria, adorari: vt iam turpissimo Angli nitantur errori, dum somniant se, cum Rainoldi ineptiis, de Catholica Romana Ecclesia, tanquam verę idololatrata, & propterea ab illis iustę abiecta, ac derelicta, triumphare. In nostro profectõ sacrarum Imaginum vsu, cum & mala circumstantia, & scandalum ordinarię absit, quia inter Idololatrias non viuimus, & quia satis instructi sumus, aut esse possumus, circa legitimam Imaginum venerationem, à vera latria remotissimam, propterea licitę possumus coram Imagine procumbere, & sic prototypum, si sit adorabile vera latria, etiam vera latria adorare. Sic profectõ filij Israel adorabant Deum in nube ad ostium Tabernaculi, nubem vero non adorabant *Exod' 33.10.* Ita etiam in igne 2. *Paralip. 7.3* neque hinc idololatrię crimen vllum incurrerunt, dum Deum in signis corporeis adorarent. Qui ergo huiusmodi adorationem, tanquam verę & proprię de se idololatricam damnant, ne pilum quidem in se veri ac solidi Theologi habent. Frustra itaque hanc idololatriam Protestantes causantur, vt suum Schisma defendant; atque ita primum quidem se in hoc quoque aperta hęresi contaminant, deinde veri manent schismatici, quia causa hinc ipsis legitima nulla suberat separationis.

Aper-

22. Apertissimam in sacrosancta Eucharistia adoranda idololatriam, hoc est, artolatriam, panis videlicet adorationem, & sanè adorationem latriæ nobis obiiciunt: se vero ob hoc etiam à Schismate excusant Aduersarij: sed plurimum hallucinantur. Nobis enim præsentia realis ac corporalis Corporis & Sanguinis Domini nostri IESU CHRISTI in Eucharistiæ sacrosanctis mysteriis, est certissima. Nos ipsummet Corpus Christi, de se, ob Vnionem hypostaticam, adorabile vera latria, sub speciebus latens, adoramus. Sed neque hæc disputatio hic locum habere potest. Præsentiam hanc realem, & corporalem nos supponimus, quæ suppositio nobis iam fide certa est; quia ex Euangelio illam petimus, dicente Christo panem in manibus gestante: *Hoc est corpus meum:* iuxta promissionem, quam fecerat dicens *Ioan. 6. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Itaque ne suspicari quidem possunt Aduersarij nos in hac adoratione idololatriæ errori esse obnoxios; ac proinde excusationem sui Schismatis hinc nullam possunt obtendere; sed verè & propriè sunt non modo schismatici, sed etiam hæretici; ideoque ab illis mihi fuit omnino recedendum, ne iisdem ipsorum erroribus adhærerem.

23. Occultam etiam aliquam nobis appingunt Idololatriam, dum in sale, aqua, oleo, & similibus, post exorcismos & benedictiones, spiritualem fiduciam collocamus. Hæc illi sanè obtrectandi gratia congerunt, & vt videantur quoquo modo suum Schisma excusare. Bene tamen sciunt, nos in istis certam fiduciam non collocare, quasi putemus creaturas istas vim aliquam certam & infallibilem ex nostris exorcismis & benedictionibus accipere. Hæc nos vocamus sacramentalia, non sacramenta; vt per ea deuotionem in nobis excitemus: tota verò nostra fiducia in Deo solo est, qui Ecclesiæ suæ precibus inclinatus, etiam per istas creaturas,

vir-

virtute earumdem precum Ecclesiæ, & benedictionum, dona sua distribuat. Maximam partem horum & similium Rituum, ex traditione Apostolica, & per manus ab antiquissima accepimus Ecclesia, quam qui sequitur, errare non potest, & qui talia contemnit, & abijcit, tanquam temerarius, & Ecclesiæ hostis est abijciendus. Olei benedicti vsum ponit *Tertullianus lib. de bapt.* Inter materias sacramentales etiam oleum numerat *Augustinus epist. 119.* Aquæ baptismalis consecratio, ab immemorabili tempore seruatur in Ecclesia; nam & *Cyprianus lib. 1. epist. vltima,* aquæ & olei consecrationis meminit, & vñctionis. Templata sacra, si aliqua ratione polluerentur, exorcismis, & lotionè parietum fuisse solita reconciliari habemus apud Optatum Mileuitanum *contra Parmenianum lib. 2.* Sanctus Basilius *lib. de Spir. San. cap. 27.* ex traditione deducit ritum communem liniendi oleo baptizatum. In omnium rerum benedictionibus & consecrationibus, signum crucis adhiberi solitum, docet antiquitas; *Iustinus quæst. 118. Nazianzen. orat. 1. in Iulianum. & orat. in funere Patris. Chrysost. hom. 55. in Mattheum. Augustinus tract. 118. in Ioannem. & serm. 3. de Annunciat. & serm. de Tempore 181. cap. 3. Areopagita, & alij.* Sunt fortasse apud nos ritus aliqui non adeo antiqui, in quibus vtimur rebus benedictis, & consecratis; sed quemadmodum Ecclesia primitiua ab Apostolis instructa non timuit periculum vllum occultioris Idololatriæ, si oleo consecrato, & similibus vteretur, cur nos nunc timeamus, qui nihil plus rebus his consecratis tribuimus, quàm antiquitas ipsa rebus illis tribuerit? Propter hæc igitur ad schisma conuolare, est summæ impietatis. Ritus hi boni sunt, plurimi quidem ab Apostolis instituti, alij vero ex deuotione Ecclesiarum Catholicarum orti, fidei nulla ex parte aduersi, imo fidei consentanei; varietas rituum & ceremoniarum fuit etiam olim in Ecclesiis, sed non propterea à mutua

mutua inter se communione illæ recedebant. *Friuolum enim,* ait *Sozomen. lib. 7. cap. 19. & quidem meritò iudicarunt, consuetudinis gratia, à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Friuola ergo, imò temeraria, imò impia fuit Anglorum segregatio, qua se ipsi ab Ecclesia vera Catholica diuiserunt, & in apertum schisma, sine legitima causa, proruperunt: quibuscum communicare in diuinis, est in ipsorum iniustissimum, & perniciosissimum schisma consentire.

24. De nouis articulis, quibus illi suas instruunt querimonias, & suum Schisma conantur excusare, non est nunc disputandum; prolixus nimium essem, si huc diuerterem: Res aliàs tractanda. Nunc illud ab ipsis quæro, num putent nouos hos, quos vocant, articulos, esse fidei contrarios, an non? Si essent fidei contrarij, hæreses essent, & nos hæreticos facerent meritò euitandos, & à Catholicarum Ecclesiarum communione segregandos. Sed iam probaui, nullam in Ecclesia Catholica Romana esse hæresim; & vel ipso Sereniss. Britanniaë Rege, pluribusq; Viris in eo regno doctis fatentibus, Ecclesia Romana in fundamentali fide nullum patitur detrimentum. At iam in superioribus probaui, nullum esse verum articulum, qui non sit fundamentalis, & firma fide credendus. Articulos ergo nullos habet, qui Catholicae fidei aduersentur: & cum veræ fidei non sint contrarij, sed veram fidem contineant, causam schismati dare non possunt. Sed nos, inquiunt, quia articulos illos rejicimus, Ecclesia Romana ab se separat, & diuellit. Ego vero doleo, & lugeo, ipsos, antequam de his, quos nouos vocant, articulis, quicquam ageretur, antequam definirentur, iam fœdissimum, & sanè completum Schisma fecisse: Cum summa ergo vanitate nouos hos articulos possunt suo schismati prætexere; effectus enim non potest suam causam præcede.

E

re.

re. Eos Schisma sine causa fecisse contendo, & hinc eos veros esse schismaticos agnoui, ac propterea etiam ab ipsis recessi. Illi ipsi tamen articuli euidenter possunt ex Scripturis, Traditione, & Patribus demonstrari; & contrarij ipsorum per eos statuti hæresum manifestarum conuinci, si primorum Autorum sensus retineatur; utcumque posteriores aliqui, mitioribus vsi consiliis, commodas soleant in aliquo dogmate afferre explicationes, (quas ego interdum nonnullas audiui) à Catholica sententia non admodum remotas, quæ pias videntur ferre posse secum conciliationes. Quis igitur absque pernicioso errore, imò & vera hæresi, in sola fide reponat salutem, & operum bonorum excludat necessitatem; merita nostra absolutè neget; Iustorum gratiam faciat inamissibilem, & ipsos impeccabiles? Et qui hos, ac similes contendunt mordicus esse articulos fidei, contrarios vero esse hæreses, illi profectò circa res fidei errant, & se hæreticos esse declarant, & consequenter meritò Catholicis definitionibus inter hæreticos reponuntur. Non igitur vlla hæresis Ecclesiæ Romanæ, non Idololatria manifesta vel occulta, causam dare potuerunt Schismati Protestantium: Sed neque Schisma eidem Ecclesiæ possunt illi obiicere: illa enim Schisma non fecit, sed passa est; ab ea se Lutherus, ab ea Calvinus, ipsorumque sequaces priores separarunt, dum Ecclesiæ iudicium contumaciter reiecerunt; Illi Schisma fecerunt; Illi Christi tunicam diuiserunt; Illi altare contra altare erexerunt; Illi Catholicæ veræ Ecclesiæ nuntium remiserunt.

25. Causam quoque, præter hætenus allatas, & discussas, necessariæ reformationis prætexuerunt. Reformationem ego inter ipsos vix vllam, imò, vt verius dicam, nullam vidi, deformationes multas obseruavi: Conscientiæ cura communiter abiecta iacet; nullis, ex adulteriis, ex rapina, & pro

proximi deceptione, ex dolis, ex fraudibus, ex usuris, (si paucissimos excipias) scrupulis vrgentur, qui confessionem auricularem, ieiunia, pœnitentiam, & similia sacra impiè aboleuerunt. Quod si inter nos etiam reprehensibile aliquid in moribus, in actionibus, in regimine, & gubernatione, & similibus, inuenissent, id non Ecclesiæ, sed singulorum defectus denotat, qui à Catholicis non probantur, sed reprehenduntur, nec pro his leuioribus teterrimum Schisma erat conflandum. Stat in Ecclesia Romana solidum, inconcussum, & stabile fundamentum; quod si etiam verum esset nos *superponere ei lignum, stipulam, fœnum.* 1. Cor. 3. 12. non propterea à salute essemus exclusi. Protestantes verò à fundamento recesserunt, fundamentum ipsum deseruerunt, aurum, quod suum inaniter iactant, & argentum, & lapides preciosi, *proiecta viliora sunt alga*, nisi super fundamentum, quod Christus est, ista superædificent. Vnum fundamentum, non duo fundamenta; vna Ecclesia, non duæ; vnus Christus, non duo: Si Christus nobis est fundamentum (quod negare non possunt) ipsis certè fundamentum ille non est. Ipsi alteram Ecclesiam statuerunt à nostra diuisam, & separatam; & illa sanè Ecclesia esse non potest, quia vna est Ecclesia, non duæ: Qui in ea Ecclesia vult esse, extra Ecclesiam veram Christi cum esse oportet.

26. Deceptum me ab Anglis Protestantibus fateor, priusquam naturam Schismatis diligentius considerassem: Mihi enim Schisma ipsis opponenti, respondebant aliqui, per ipsos non stare, quo minus cum Romana Ecclesia communicent, se ad vnionem esse paratos: Summum tamen Pontificem nolle eos in communionem recipere, quos ab se anathemate resecuerit. Excusatio hæc aliquamdiu mihi iusta, & rationabilis visa est.

28. *Post*

Postquam tamen cœpi ex hoc capite in priuatis dissertationibus, & publicis concionibus vnionem vrgerè, quæ propterea mihi non admodum remota videbatur, dum digitum in vlcus altius inferre tento, sentio in Anglia non Anglicanam, quam mihi vt modestam prædicabant, Confessionem, sed Caluini, & multa Lutheri planè deliramenta regulam esse fidei communem. Hoc mihi clarius patuit ex vmbatili quadam Synodo Protestantium Dordracena, in qua Calviniani rigores, ex consensu & concursu etiam Anglicanæ Sectæ, per suos ad illam Synodum Missos, fuerunt confirmati: quos rigores Puritanicos, si Anglicana, vt contendunt, illa Confessio in certos articulos disposita, in se nequaquam continet, cur Calvinianis excessibus suum calculum, nomine Anglicanæ Professionis, adiecerunt? Qui igitur fieri potest, vt qui se Ecclesiæ Romanæ acerrimos hostes profitentur, illi credantur cum Ecclesia Romana cupere vnionem, & per ipsos non stare quo minus illa fiat? Quomodo Schismatis culpam in Romana, seu Tridentina Anathemata possunt illi conijcere, qui ante ipsa Anathemata, Schismate se à Catholica Ecclesia diuiserunt, & sane Schismate, aliqua ex parte, longè peiori ac fœdiori, quàm fuerit Schisma Luthero autore conflatum, & Caluino incensore postea firmatum: quia Anglia à dogmatibus Lutheri & Caluini initio abstinuit, neque hæresim, aut idololatriam (quas suo Schismati prætexuerunt Lutherani & Calvinistæ) Romanæ Ecclesiæ appinxit, & nihilominus absque causa, ne apparenti quidem, schismati communi hæreticorum, longè postea, manus dedit. Diuisionem & separationem factam laudant nunc, & tuentur maxima ex parte Angli, & pro ea dimicant, vnionem refugiunt, abijciunt charitatem, quicquid possunt efficiunt, vt concordia non sequatur, & fraternitas non conglutinetur; libentiusq; dicunt non pauci, & faciliùs

faciliùs se cum Turcis inituros societatem, quam cum Papi-
stis. Hocne est paratum habere animum ad concordiam?
Siccine verum est per ipsos non stare, quo minus cum Roma-
na Ecclesia communicent? Fieri profectò nullo modo po-
test, vt vnio, quæ mihi facilè sperari posse videbatur, conse-
quatur, nisi illi prius, & hæreses omnes ac hæreticos dete-
stantur, & cum Catholica Ecclesia Romana rectè sentiant,
eiq; perfecta charitate coniungantur.

27 Henricus Octauus cum solo Summo Pontifice fermè
negotium habuit, & ipsius primatum hæretico spiritu nega-
uit, suprematumq; Ecclesiasticum duntaxat, nonnullis in-
temperijs agitatus, arripuit, in reliquis fidem, & Catholicæ
Religionis cultum, ritusq; concernentibus, moderatius se-
gessit. Sub Eduardo filio puero, & multo magis sub Eliza-
beta, non modo à Summo Pontifice Christi Vicario, & su-
premo totius Christiani gregis Pastore, discessum est, sed eti-
am diuinus cultus per summam vim, atque iniuriam, Catho-
licis est ereptus, imò & publicis legibus laicis suppressus.
Numquid verò Synodus legitima prius coacta? Num obie-
cta contra Catholicos sunt discussa? Num defensiones ipso-
rum audita? Num erroris alicuius, & impietatis in religione
conuicti? Num per Iudicem competentem iudiciù est per-
actum? nihil minus. An non adhuc eadem violentia, iniuria
eadem, eadem impietas perseuerat? Quantum laborant etiã
in Anglia, ij præsertim, qui Religionis suæ qualiscumque cu-
ram assumpserunt, ne Catholicis diuinus, antiquus, pius,
præscriptus cultus restituatur? Itane ergo per ipsos non stat
quo minus Schisma tollatur? Reformationem vrgent. At
reformatio quantumuis iusta & necessaria, si fiat cum schis-
mate, est turpissima deformatio. Id profectò reformatur,
quod idem in substantia perseuerat. Manere ergo in An-
glia Religio Catholica, eiusq; exercitium substantiale de-
buisse,

buiſſet, & ſi quid in ea reformandum fuiſſet, id reformationi legitimæ, ſeruatis ſeruandis, ſubijci potuiſſet: ſed alia Religio, priori ſuppreſſa, aut compreſſa, non erat inſtituenda; ita vt iam ſint duæ inter ſe diuerſæ, & pugnantes: nam ſi poſterior eſt alia à priori, non eſt reformata prior, ſed, quantum in ipsis fuit, deſtructa, & alia noua conſtructa. Duæ porro Chriſti religiones eſſe non poſſunt, ſed eſt vnica, illa, quæ apud nos eſt, vt oſtendi; ſicut vna eſt Eccleſia, vnum fundamentum, & vnus Chriſtus.

28. Cum itaque, inter cætera mala, me inueterato Schiſmate circumcinctum eſſe, & ſpem omnem Vnionis abiſſe cernerem, ego ſanè Altari contra Altare erecto, & à charitate Eccleſiæ diſiuncto, tuta conſcientia aſtare nec poteram, nec debebam. Quare ad eam me redire conſcientiæ ſtimuli coegerunt. Ad Sanctiſſimam Romanam Eccleſiam Dominam ſuam, meam Agar reuerti fuit neceſſe, audita Angeli ipſam increpantis voce, atque dicentis ei, *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius, Gen. 16. 9.* Fuga illa mea non potuit mihi, niſi & ignominiam parere, & ruinam. Sub Dominæ meæ manu me humiliari Deus iubet; Atque in hoc maximè me **DEVM SEQVI** oportet. Utinam illi, ad quos ſtultè fugeram, ſtatum ſpiritualem ſuum miſerrimum, non ſolum propter hæreſes, ſed etiam ratione Schiſmatis deploratiſſimum agnoſcerent; à quo Schiſmate iam oſtendi eos non poſſe excuſari, quia à vera Chriſti Eccleſia, quæ eſt noſtra Catholica Romana, ſe iniuſtè ſepararunt: & hoc me terruit: Schiſmatici enim à Dei filiatione ſunt excluſi, nam *Deum non habent Patrem*, vt aſſerit Cyprianus lib. de ſimp. Prælat *qui Eccleſiam veram nolunt habere Matrem* Mortuus eſt Chriſtus, vt filios Dei, qui diſperſi erant, cōgregaret in vnū. *Io. 11. 52.* Mors ergo Chriſti, non ſolū hominū redemptionem, ſed

X.XXIX.

sed etiam Vnionem Ecclesiæ operabatur , atque operatur. Ante mortem Christi, erant filij Dei sparsi & diuisi, aliqui sub lege Mosaica, alij sub sola lege naturæ, inter se valdè distincti, nullam certam simul constituentes vniuersalem congregationem. Iam verò diuina illud voluit Sapiencia , vt omnes penitus ipsius fideles, ac veri per fidem filij, vnicam per totum mundum constituerent Societatem , vnicam, sub Duce & Imperatore Christo, eiusq; vexillo sancta & viuifica Cruce, iisdemq; sacramentorum signis, & tesseris, militiam profiterentur. Atque hæc Societas & Congregatio, insignis est effectus mortis Christi; quæ mors effecit, vt discordes sectæ, & innumerabiles viuendi rationes, inter se dissimiles, ac valdè contrariæ, in vnitatem Christianam coirent, per illum profectò, *qui est pax nostra, & fecit vtraque vnum.* Et hoc sanè per Crucē, *Ephes. 2. 14.* Huc applicat Anastasius Synaita *lib. 3. Hexem.* verba illa Creatoris, *Congregentur aquæ in locum vnum,* id enim ad Ecclesiam spectare, ait, ex diuersis populis, & gentibus, & sectis sub vnitare fidei, congregatam. Propterea & ipse Christus de sua Cruce dicebat. *Ioan. 12. 32. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Athan. de Incarnat. Verbi Dei, ait, *Exaltatus enim in Cruce Dominus, utroque extenso brachio, vtrumque populum iudaicum, & Gentilem ad se vnum inuitauit, vt vtrumque amplexando in sinum suum colligeret.* Vnicus verò est sinus intra brachia Saluatoris.

29- Nec mysterio carere censet ibidem Athanasius, quod Christus mortem Crucis elegerit, non detruncationem capitis, qua Ioanni Præcursori vita erepta est; non sectionem corporis, quam Isaias passus est; *Vt in morte, inquit sine mutilatione integrum corpus seruaret, & causa subduceretur ijs, qui Ecclesiam in partes cupiunt discindere.* Eratque tantopere:

tantopere cordi Christo Domino hæc vnitas, vt feruentif-
 sima oratione, ipsa vltima vitæ suæ nocte, à Patre petierit, vt
 ipsius discipulos, & reliquos fideles ab hac Vnitate discede-
 re non pateretur *Ioan. 17. 11. 20. 21.* & bis addidit, se propter-
 ea pro hac Vnitate orare, *Vt credat, inquit, Mundus, quia tu
 me misisti.* Sed nostri Aduersarij nihil hæc considerantes,
 quantum in ipsis est, mortem & Crucem Christi, absque ef-
 fectu hoc præstantissimo Vnitatis, esse volunt; & per diui-
 siones, ac schismata, Iudæis, & Infidelibus ansam præbent
 obloquendi, & blasphemandi, Christum, non fuisse filium
 Dei, nec à Deo missum; siquidem ab ipso constituta Socie-
 tas non consistat, sed subinde in partes dissoluatur. Ecclesia
 Christi est vna domus, & vna familia: qui ab hac se familia
 subtrahit, qui ex hac domo exit, ille ad familiam Christi non
 pertinet, & à salute prorsus est alienus, sicut qui intra Arcam
 non erant, in diluio perierunt, *Gen. 3.* A corpore Christi,
 quod est sola Catholica Ecclesia Romana, cum sibi perfe-
 cto nexu adhærentibus, se Protestantes rescuerunt; igitur
 membra Christi non sunt, ac proinde Caput ipsorum non
 est Christus, neque in eos influit ille Spiritum suum, & dona
 sua. Sunt itaque membra putrida, & iam resecta, quia sua
 sponte impiè se à Corpore absciderunt. *Sunt palmites à vite
 præcisi, nulli vsui, nisi igni apti, Ezech. 15. 3.* Neque potest esse parti-
 ceps diuinæ charitatis, qui est hostis Vnitatis, ait Augustinus *epist. 50.*
 30. Omnium bonorum spiritualium, si quæ putant se pos-
 sidere, iacturam per Schisma fecerunt: *Si linguis hominum lo-
 quar & Angelorum, inquit Paulus 1. Cor. 13. 1. Charitatem au-
 tem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest, &c.* Ex his Pauli
 verbis monet sapienter Augustin. *de baptismo lib. 1. cap. 9.*
 Nullum opus bonum schismatico quicquam prodesse.
 Aperte Cyprianus hoc ipsum, nec semel expressit. *Etsi, in-
 quit, lib. 4. Epist. 2. occisus propter nomen Christi postmodum fue-
 rit*

rit extra Ecclesiam constitutus, & ab Unitate atque Charitate diu-
sus, coronari in morte non poterit. Idem inculcat *lib. 1. Epist. 1.*
& ad Iubaianum, & tract. de simp. Pralat. seu de Unitate Ecclesie,
& de orat. dominica. Eundem sequitur Chrysostronus in *Epist.*
ad Ephes. homil. 11.

31. Quanto vero icelere se obstrinxerint, facta dira separa-
tione, considerent, quæso, ex eo, quod Schisma sit Ecclesie
sanctæ destructiuum: nam vox Christi est, *Omne Regnum in se
diuisum desolabitur. Luc. 11. 17.* & Pauli, *Videte, ne, dum inuicem
mordetis, inuicem consumamini Gal. 5. 15.* Et hoc scelus destru-
endi Ecclesiam, posse esse illud peccatum in Spiritum San-
ctum, quod Christus dixit non remitti, neque in hoc sæculo,
neque in futuro, *Matt. 12. 31.* probat Ambrosius *lib. 2. de
pœnit. cap. 4.* Sic Meretrix illa pessima *3. Reg. 3. 26.* malebat
infantem non esse, quam illum sinu propriæ matris excipi;
& contra eam clamabat, *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur.* Schil-
matici, quantum in ipsis est, ne fides integra & viua in sinu
veræ Matris Ecclesie conseruetur, conantur ipsam diuidere,
vt apud neutros viua sit; sed nihil obtinent: & sciant de ipsis
dici; *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Eccles. 10. 8.*

32. Neque mirum quod iam in plures hæreses inciderint
ipsi Angli, & Puritanismus apud eos dominetur, licet Luthe-
ranis & Caluinianis hæresibus nondum essent contaminati,
cum primùm schisma totale fecerunt: Irenæus enim *lib. 3.
cap. 40* & *lib. 4. cap. 43.* præclare docet, discissos ab Ecclesia,
ex fonte Spiritus Dei non potare, sed eos fodere sibi lacus
detritos, & in errores fœdissimos, contra fidei veritatem,
delabi. Sic & Cyprianus *lib. de simpl. Præt.* Ecclesiam Catho-
licam facit radicem, fontem, solem, vt sicut ramus vitam ha-
bet à radice, riuus aquam à fonte, radius splendorem à sole,
ita fidei sinceritatem ex coniunctione cum Ecclesia Catho-
lica haberi. Qui igitur ab ea se præciderunt, fidei veritatem
non possunt haurire, sed necesse est decidant in errores. Sunt

F

enim

enim arbores sine radice, sunt riui sine fonte, & sunt radij sine sole. Vnde passim Patres his, & similibus rationibus conuincunt, Schisma tandem in hæresim erumpere: qui enim cum Ecclesia Catholica coniunctionem habere detrectat, is ab ea discere etiam veritates fidei, quarum thesaurus & conseruatrix est ipsa sola, detrectabit. Bene igitur Augustinus *cont. Crescon. lib. 2. cap. 7.* definiuit, *Inueteratum schisma, esse ipsammet hæresim.* Et meritò Cyprianus *lib. 1. epist. 6.* in omni Schismate illam ad minimum hæresim inuenit, quod per ipsum tollatur articulus, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam; & remissionem peccatorum:* qui enim credunt Ecclesiam Sanctam Catholicam, esse veram Christi Ecclesiam, ab ea, si ita credunt, discedere non possunt: quod si discedunt, profectò non credunt Catholicam Ecclesiam, esse veram Christi Ecclesiam Sic August. *hæresi 69. ad Quod vult Deum* ait, Donatistas, Schisma in Hæresim vertisse. Et Ambros. *in Orat. de funere fratris* approbans illius factum, qui Luciferianas fugerat Ecclesias, vt ego nunc Anglicanas, ait. *Non putauit fidem esse in Schismate; Nam etsi fidem in Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi Corpus Ecclesia sit, non videtur ab ijs exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusq; distrahitur.*

33. Fuitne igitur mihi, cum tanto anime dispendio, inter Schismaticos & Hæreticos commemorandum? absit. Acerbo animi dolore angor, quod tam diu inter ipsos fuerim versatus, & impia contra Matrem meam, contra Veritatem Catholicam arma sumpserim, & tractarim, librosq; de Republica Ecclesiastica hæresibus plenos, quas penitus abominor & detestor, conscripserim, & in Castris infamibus, non sine perpetua nominis mei infamia, militarim. Tanti me sceleris profectò & piget, & pudet: Veniamq; facinoris à Deo Optimo Maximo, à Christo Salvatore nostro, & ab ipsius in
terris

XLIII.

terris supremo Vicario Summo Pontifice supplex, totusq;
venerabundus posco, & errata mea summæ Clementiæ eius-
dem Pontificis plenè subijcio: Quippe qui à nemine in ter-
ris iudicandus, nostrum omnium supremus Iudex, Vices
Christi in Ecclesia militanti plenissimè gerens, sedet. Utq;
Dominus ipse, pœnitenti sinum Misericordiæ suæ libenter
aperit, Ita brachijs Clementiæ suæ Sanctitatis, me exceptum
iri plurimum confido. Exemplum Cypriani contra Step-
hanum Summum Pontificem, in Ecclesia Catholica reprehen-
sum admodum, & damnatū, me aliquando in scelere, Sum-
mo Pastori obnitendi, confirmabat; nunc vero turpis meus
lapsus, meo periculo me docuit, quàm facilè à recto fidei
tramite deuiant Episcopi, qui, vnico polari sydere contem-
pto, certissimum videlicet, ac tutissimum Romani Pontifi-
cis ductum posthabentes, proprios ignes fatuos sequuntur
ad interitum. Vtinam, quemadmodum diuinus Cyprianus,
proprij sanguinis pro Christo effusione, omnem prioris ani-
mositatis eluit maculam, ita mihi quoque, qui eius lapsum,
multitudine & grauitate erratorum, incomparabiliter su-
perauī, detur & opportunitas, & gratia, sanguine ipso fœdi-
tates meas diluendi, & Veritates attestandi Catholicas, quas,
vbi aramentum me deficeret, sanguine ipso, in laudem, &
honorem Dei, Sanctæ Catholice Ecclesiæ exaltationem, &
Sedis Apostolicæ decus & ornamentum, obfirmare, Deo
opitulante, sum paratissimus. Adsit Deus.


Roma die 24. Nouembris 1622.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. M.
Sac. Pal. Apostolici.

A. Episc. Hieracen. Vicefg.

Imprimatur. Fr. Nicolaus Rodulfus Ord.
Præd. S. A. Pal. Magister.





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



CVS
NIVS DE

JML

ARCHIEPISC,
LATEN.

5017

glia Consilium exponit.



plari hoc anno 1623.
dito.

um permissu.

NGAE.

ERICVM REM
Typographum.

C. XXIII.

a
m,
iac-
cipit

